



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm|| Maii Et Ivnii

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10258 - 10263

De S. Potentiana virgine.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77393)

Tob. 13.

à luminum splendore in diem versa visibatur, pulsus totius noctis tenebris. Quod de Hierusalem Tobias prædixit, per vicos eius cantatum iri Alleluia, id Eugubij iam impletum cernebatur, quando per omnes eius vicos & plateas laudes Domino promebantur. Deinceps verò omnium ore canitur Vbaldus, sermone omnium Vbaldus sanctus prædicatur, nomen eius apud omnes celebratur. Eodē defuncto, pacis abundantia & iustitia pauperibus exhibenda orta est, iustitia enim eius manet in seculum seculi. Eodem enim anno inter Eugubinos & Comitatum pax reformata est, & diuturnum bellum omninò consopitum est. Tanta verò in pauperes benignitas & humanitas declarari coepit, vt contra morem nō iam pauperes necesse haberent stipem ab aliquo emendicare, sed ipsi potiùs rogarentur, vt oblatam accipere ne recusarent. Lucundum sanè spectaculum erat, videre in ecclesia ducētos, trecentos, nonnunquam quadringentos inopes alimenta accipere, & omnibus omnia, quibus egerent, affatim suppeditari. Afferebantur copiosè omnis generis esca & reliqua tum fanis tum agris necessaria ex pagis & castellis. Floruit sanctus Vbaldus anno salutis millesimo ducentesimo decimo.

Eugubino-
ri insignis
liberalitas
in pauperes

S. POTENTIANÆ VIRGINIS HISTORIOLA,
EX MARTYROLOGIO, QUOD BEDAE
adscribitur.

19. Maij.

S. Potētia-
næ parētes.Sanctissima
vita.

Obitus.

Ex Vsuado

ROMANÆ natale sanctæ Pudentianæ vel Potentianæ virginis: quæ illustrissimi generis, Pudentis, discipuli beati Pauli Apostoli, filia erat. Cuius mater Sabinella, soror verò Praxedis, quas pater earum in omni religione Christi erudiuit, virginesque Christo dereliquit: Quæ post obitum sancti patris in omni exercitatione pietatis ita excreuerunt, vt nocte dieque incessanter hymnis & orationibus cum familia sua Domino inservirent, beato Pio Urbis Episcopo cum eis in laudibus Dei participante. Remunerationem igitur pro pijsissimis laboribus suis percepturæ, post innumeros agones, post multorum martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates in visceribus pauperum inclusas, Christoque fideliter commendatas, tandem de terris ad Christum migraverunt, Potentiana venerabilis quartodecima Calendas Iunij, posita in cœmeterio Priscillæ, via Salaria: Praxedis verò virgo æquè sanctissima, duodecima Calendas Augusti, & ipsa cum sorore iuxta patrem sanctum sepulta. Eodē die beati Pudentis, patris supradictæ virginis, qui ab Apostolis Christo inuestitus baptismo, innocentem tunicam vsque ad coronam vitæ immaculatè custodiuit.

VITA S. DVNSTANI ARCHIEPISCOPI CAN-
TVARIENSIS, EDITA AB OSBERTO MO-
nacho Cantuariensi. Claruit is Osbertus Anno
Christi 1020.

PRAEFATIVNCVLA AVTHORIS.

Psal. 150.



QUA VIA Deum in sanctis suis mirabilem, prophetica voce laudare iubemur, cum in his, quæ in B. Dunstano, primæ metropolis Anglorum pontifice, mirabiliter operari dignatus est, quorundam simplicium in bono fratrum non despiciendæ voluntati obtemperantes, vsitato more loquendi, styli officio laudare decreuimus, scriptis, quæ alio quodam elocutionis genere ipsa gesta commemorant, sapientium virorum considerationi relictis.

VITAE